



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

10. Aprilis. Nequaquam detractum crede pietatis studio, quod naturæ necessitati conceditur. S. Ignat. in Hist. Soc. p. 1. l. 1. n. 30.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Nec idcirco cessandum à bono, quòd orco displiceat, quòd mundus tumultuetur, quòd contradictores audias; imò fortius insistendum!

Aderit causæ suæ Deus; quæ mera insuperabilia putas obstacula, momento subsident, si tu bene cœptis insistas. Potentior est orco gratia Dei, huic fide, & eluctabere.

10. Aprilis.

Nequaquam detractum crede pietatis studio, quod natura necessitati conceditur.

S. Ignat. in Hist. Soc. p. 1. l. 1. n. 30.

Magna hominis dignitas! ad imaginem Dei creatus, cœli hæres! gratia divinæ particeps, virtutis capax, ne se contolleret, præter animam, corpore confisus quod suos patitur manes.

Nec perit tempus, quod curæ corpori datur. Dum pascitur a suis, dum quiescit Domino servit; sic indulgeri quies debet corpori, ut fortiùs deinde labori insistat.

Misera mentis humanæ conditio, pietati absque cessatione, licet velit, addici non potest: ut arcus intensus rumpitur, suum mens æquè, ac corpus, à laboribus interstitium requirit.

Nimiùm qui facit, nihil facit; nam lassitudine fractus, nihil poterit. Moderandus est fervor, ne penitus extinguatur. Nimiùm olei, si lampadi affundatur, non promovetur lumen, sed extinguitur. Moderata durant.

II. Aprilis.

Ad vineam Domini suis laboribus excolendam iturus, humilitate, suiq; contemptu viam sibi ad ardua, atque excelsa disponat, tum enim reliquum adificium tuto surget, si humilitatis fundamento sit innixum. S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 2.

Qui aurum quærit, uti & qui margaritas piscatur, se demittit, hic in maris, ille in terræ viscera; nec animas aliàs certius quàm demissione invenies.

Nec Christus, animarum nostrarum Zelator maximus, aliã eas viã quæsit, quàm sui abjectione. Quantùm ab hujus exemplo, tantùm ab animarum lucro recedit.

Posse Deo cooperari in salutem animarum, gratiarum est maxima: hanc arrogans sui æstimator sperare non potest, nec enim dat, nisi humilibus gratiam.